

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1813

Auteur(s) : Richard du Hommet, connétable de Normandie [autre]

Bénéficiaire(s) : Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1178]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard du Hommet, connétable du roi d'Angleterre, confirme les donations faites à l'abbaye d'Aunay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XXIV, col. 88-90.

Dissertation critique

Richard du Hommet, connétable de Normandie, apparaît jusqu'en 1178 sous le règne d'Henri II. Cf. L.Delisle/E. Berger, Recueil des actes de Henri II, Introduction, p. 351. Les donations faite par Richard ne sont pas évoquées dans la charte de cofirmation du roi Henri II en 1156-1159 (SCRIPTA 6789) mais évoquées dans celle du même roi en 1181-1189 (SCRIPTA 7424).

Texte établi d'après a

Richardus du Humet conestabularius regis Angliæ, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, salutem. Quoniam generatio præterit et generatio advenit, et in brevi gestorum memoria aboletur, nisi scripturæ beneficio conservetur ; quæ abbatia Alneti antecessorum nostrorum largitione et nostra donatione collata sunt literis mandare, testibus firmare, sigillo munire commodum existimavimus, ne cujusquam temeraria audacia famulorum Dei possessiones calumniis concutiat, ipsorum quietem conturbet. Habeant itaque monachi de Alneto ex dono Jordani de Saio et Lucie uxoris ejus, locum in quo primum constructa est abbatia, sicut descendit terra de Monte in Oudonem et partem forestæ, sicut via descendit versus domum Osberti carpentarii. Ex dono eorumdem terram de Repentir concessu Radulfi de Buron et heredum suorum, quam Lucia uxor Jordani emerat. Item, ex dono eorumdem quoddam nemus juxta nemus Anchetilli, concedente Radulfo de Buron et heredibus suis. Ex dono eorumdem decimam totius domini et decimam molendini de Deserto. Item, ex dono eorumdem ecclesias de Cenilleio cum omnibus decimis, et terram eleemosynariam ad easdem ecclesias pertinentem. Item, dimidiam terram quam habebant in Aneeriis, et decimam molendinorum. et telonei et virgultorum, et pecorum de Alneto et Romilleio, et decimam anguillarum, et duas acras terræ in quibus constructa est grangia monachorum, et duas guerbas decimæ de Bocheio. Item, ecclesiam de Herovilla, et quicquid habent in ecclesia de Ranvilla et in decima, et decimam molendini sui in eadem villa. Item, in Cormolaim decimam totius domini sui, et totam terram de Vennis. Item, ecclesiam Ballereii cum tota decima, et decimam molendini. Ex donatione eorumdem in Anglia ecclesiam de Curantona, cum terra eleemosynæ et omnibus pertinentiis suis, et in Benestria decimam domini sui, et capellam de Gywa cum decimis domini sui. Ex dono autem Lucie pratum unum in Baucheio. Ex mea

vero propria donatione et Agnetis uxoris meæ, et filiorum meorum Willelmi, Enguerrani et Jordani, sedem et positionem abbatiæ novæ super Oudonem, et viginti acras terræ feodi filiorum Alveredi, pro quibus donavimus eis excambium juxta novum vivarium quod feci construi super Oudonem. Item, ecclesiam de Marigneio cum burgo sancti Petri et cum omnibus appenditiis suis, cum molendino ejusdem villæ quatuor quartaria frumenti. Item in eodem molendino, ex proprio dono Willelmi filii mei et Agnetis uxoris meæ, quinque quartaria frumenti. Item, in eadem villa 20 solidos Cenomanenses in teloneo. Item, ecclesiam de Rumilleio in integrum, cum omnibus appenditiis suis, ex donatione nostra. Item, ecclesiam de Essebi cum omnibus appenditiis suis. Item, ecclesiam de Limbergia cum omnibus appenditiis. Item, totam terram de Masura-arsa, quam tenebat Radulfus de Noeris de Ranulfo de Roschamp. Hanc autem donationem concessit Ranulfus de Roschamp, et mecum super altare posuit ; et propterea ipsi Ranulfo quamdam terram reddidi, ejusdemque servitium adquietavi. Item, totam terram et omne tenementum ex integro, quod tenebat Ranulfus Cachart de me apud Vianam. Item, totam terram quam tenebat de me Andreas de Alneto apud Ranvillam. Habent etiam ex dono Ricardi de Ros, duas acras terræ in Hermanvilla, concessu Terrici de Herovilla. Item, ex dono Roberti mali-nepotis duas acras terræ apud Airl. Item, totam terram Willelmi de Collevilla de Ferrara de valle, cum nemore ad eandem terram pertinente. Item, ex dono Eudonis de Brecé, duas acras terræ apud Vianam. Item, ex dono Anchetilli de Viana, unam acram terræ apud eandem villam Vianam, concedente et donante Willelmo filio ejusdem Anchetilli. Donationes autem supra scriptas ego Ricardus de Humeto et uxor mea Agnes, et filii mei Willelmus, Enguerrannus et Jordanus, Domino et beatæ Mariæ, et fratribus in supradicta abbacia Deo famulantibus, liberas et quietas, et ab omni servitio et ab omni exactione absolutas, concedimus et confirmamus ; nullum dominium vel servitium in rebus monachorum, vel hominum in terra eorum manentium, nobis vel posteris nostris reservantes : hac solummodo contenti remuneratione, ut orationum, missarum et hujusmodi obsequiorum spiritualium fratres et consortes, et participes esse mereamur. Ut autem omnia præscripta rata et inconcussa permaneant, testes subscribi et mei sigilli impressione adnecti præcepi. Testibus hiis, Johanne capellano, Radulfo de Maisnil, Jordano de Maisnil, Eudone de Brecé, Henrico de Brecé, Bigat. de Grocé, Gauterio de Cardunvilla, Nicolao de Virevilla, Ricardo de Hommilla, Henrico de Carchigne, Willelmo de Rupallai, Roberto de Haia, Roberto de Maisnil, Roberto de Marigny.